

1764.

1. Eberhard, Iacobus Marius: De successione liberos un
naturalium in iuramento paternae hereditatis
nunc in Germania.
2. Estor, Iacobus Georgius: De dole filiae illius
nuptie ex donum pacto extra patris concurredit
ut vocant - pro cret' oribus paternis statim
numeranda.
3. Krafft, Iac. Iusticius Federicus: Et Nam condic-
tor obstrictus sit et solvendam morcedam, si cum
aliorum pueribus fundi conducti vel pueribus
vel magna ex parte pueribus fuerint?
4. Mueller, Cinhaderus Krakatus: De aliognatione bonorum
parentum cui sunt liberos sum facta.
5. Schaub, Theobaldus: De patre divisoriente inter
liberos et officia cuius coruas singularia valde
remunerante, bonis cunctis matronis, reservato suo
et signatio?
6. Wagner, Bernhardus Iusticius: De iure dei naturalitatis
principis et 17 P. de peri'is.

1765.

1. Lubtinghausen, Iwanus: De administratoribus
a iuris iusti sive iuris mentis, sed et iis corporis
laborum iustis atque a jure iuste confirmatis
juri curatorum iurorum non aestimandis.

1766.

2. Ehr, Iwanus Georgius: De spallatione, quae
ratione pendorum objectus ad locum dicitur
cum interponenda non vides locum dominicum
et nullum. 2 Sept. 1766: 1767.

2. Hille, Iv. Petrus Collinus: De probacionis
donum auxilio ex animalis truti causa
tridine

3. Schreiber, Franciscus Georgius: De invaliditate
chartarum mercaturam concernentium Indasca-
linjanus conscriptum, quod ad probacionem.

1767.

1. Hopmann, Iwanus Kureas: De differentiis iuris
comitialis inter leges imperii R. G. casque

ordinum imperii, quae rigorem carabinalem
antiment ac statuta Bremeria.

2. Homologt g. Vach, Amil Tad: De scissa vel
iurisdicta hauscione requestris Imperialis
subdelegati cum subditis p[ro]p[ri]etatis eiusdem territo.
rii sequestrati de proelio invictate &
cattatis.
3. Homologt g. Vach, Amil Tad: De communione bono.
rum inter coniuges nobiles & alij illustres
per Germaniam exuli.
4. Victor, Tacitus Fridericus: De tortio immiscente
se ambivis reuolitione coepit ut ne num propter
mercium coemitionalem tetra actio adversus
ennacem contra licitentes & private contractos?

Art. 48. num. 27.

21

DISSE^RTAT^O IVRIDICA IN AVGVRALIS
DE
S V C C E S S I O N E
LIBERORVM NATVRALIVM
IN SEXTANTEM PATERNAE
HEREDITATIS EXSVLE IN GERMANIA

P. 273
QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIP^E
AC DOMINO

DOMINO FRIDERICO II
HASSIAE LANDGRAVIO REGNANTE RELIQUA

EX INDVLTV
ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS
PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
AC PRIVILEGIA DOCTORIS RITE CONSEQUENDI
PVBLICO PROCERVUM ACADEMIAE EXAMINI

S V B M I T T I T
IOANNES HENRICVS EBERHARD
HANOVIENSIS.

AD D. **XX** SEPTEMBRIS C^ICCCLXIII.

M A R B U R G I
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA VNIVERS. ACAD. MÜLLERIANA.





CAP. I

REGVLAS QVASDAM EXHIBET DE
RECEPTIONE IVRIS PEREGRINI IN GENERE,
SPECIES LIBERORVM ILLEGITIMORVM
ET DOCTRINAM ROMANORVM DE
LIBERIS NATVRALIBVS.

- § I Exponit obseruanda circa le-
ges peregrinas receptas in
genere,
§ II quam diuersae sint leges an-
tique et hodiernae Germano-
rum a Romanorum prae-
ceptis,
§ III cautelam adhibendam in
applicando iure Romano ad
Germaniam.
§ III Quænam bac in disserta-
tione pertractatur sim,
ostenditur?
§ V Diuisiōnem liberorum in le-
gitimos et illegitimos conti-
net,
- § VI Illegitimi diuiduntur in
eos, qui sunt illustrium et
privatorum.
§ VII Indicatur: has esse vel cle-
ricorum, vel laicorum.
§ VIII Variae enavantur ille-
gitimorum species.
§ VIII Quinam sine benedictio-
ne sacerdotali coēant,
§ X quinam ex focaria,
§ XI ex despōnsatis,
§ XII ex coitu furtivo,
§ XIII ex quaestuaria muliere
nati dicantur.
§ XIV Cur hæc species explica-
tae sint?

A 2

§ XV

4 CAP. I REGVLAS QVASD. EXHIBET DE RECEPT.

§ XV *Quinam liberi dicantur
naturales,*

§ XVI *differentia inter concubi-
nam et pelicem, ostenditur.*

§ XVII *Agit de facultate rece-
dendi a concubinatu.*

§ XVIII *Quaenam fieri possit con-
cubina indicat?*

§ XVIII Priuilegia concubina-
.tui concessa praeferim ra-
tione successionis ex testa-
mento proferuntur.

§ XX *Quid iustum sit in succe-
sione ab intestato facienda,
traditur.*

§ XXI *Exponit ea, in quibus
concupinatus et matrimo-
nium conuenient differunt-*

que,
§ XXII *quaenam obseruanda sint
circa discrimen concubina-
tus a concubitu.*

§ XXIII *Nexum inter hoc se-
quensque caput exhibet.*

§ I


Legum ferendarum scientia nullius forsan momenti erit. Hic voluntas; ibi diuulgatio et prouulgatio; ecquid amplius? fane multa! Voluntas determinari debet per rationes easque sufficietes ac intellectui humano conuenientes. Quam difficile autem sit ad quaelibet attendere, singula perpendere, bonum aequum, ac malum, quod inde reipublicae euenire possit, considerare, satis patet. His potissimum ex caussis variae gentes, leges latae, necesse putauerunt, ad sanctiones in alienis prouinciis visitatas attendere.

Romani consilentes leges Graecorum; adoptantes imprimis pracepta Rhodienis in caussis maritimis; Germanique recipientes constituta Romanorum, insigne exemplum praebere queunt. Pauca iam de receptione iuris peregrini in genere monebo, vt deinde a genere ad speciem argumentari possim. Legis occasio varia esse potest.

Inue-

IVRIS PEREGRINI IN GENERE, SPECIES CET. 5

Inueteratus mos, a quo ciues aegre digrediuntur: vbi interdum obtinet prouerbium: malis ex moribus fiunt bonae leges; aequitas homini innata; status regionis, siue concernat nexum inter Principem, seu Imperantem et subditos; siue agatur de causis subditorum; siue attendatur ad situm terrarum: haec omnia illis, qui iure leges ferendi gaudent caussae impulsuæ esse posunt. Ratio haec determinans praesumi omnino debet sanis principiis conformis; cum legislator saeuire in subditos nunquam praesumatur. Lex itaque tali modo lata nec minus aequa nominari meretur. Nunc inde concludere fas erit:

a) cestante ratione legis iusta, legis aequitatem ipsam cesare.

Quapropter ille, qui constitutorum, vbi ratio iusta deficit, vsum nihilominus defendit, absque alia praecedente confirmatione, incongrue ratiocinatur. Ergo
b) receptio iuris peregrini in genere facta, excludit eiusdem leges speciales, quae, in alia regione applicatae, rationi conuenientes haud reperiuntur.

§ II

Teutones, per bella gesta praeclari, sine iuribus, saltem non scriptis, (a) nunquam fuerunt. Paulo recentiores occurunt leges promulgatae. Quantum tamen temporis a prima legum promulgatione fit interpositum, historia Germaniae nos docet. Quam antiquae sunt leges Salicorum, Ripuariorum cet.? Salicae enim legis originem viri celeberrimi (b) ante Clodouaei, Regis Francorum

A 3 tempora

(a) TACITVS de Moribus
Germanorum cap. 19 in fin.

(b) BVRCH. GOTTH. STRV-
VE in der deutschen Reichsbistö-
wie

6 CAP. I REGVLAS QVASD. EXHIBET DE RECEPT.

tempora ponunt. Quum rationes legis innumerae esse possint: (c) facile quisque perspectum habebit, quem in modum praescripta populorum a se inuicem discrepent. Eadem valent de iis, quae apud Romanos et Germanos obseruata sunt, hisque adhuc placent. Iusto longior essem, si omnes illas differentias annotarem. Ad tractationem de successionibus tantum respicere mihi licebit.

Vterque populus in eo quidem, per certum temporis spatium, conuenit, quod conseruatio familiarum successionem determinaret. Vbinam autem, quaefo! Romanis successionem paetiam licitam fuisse, mentio fit? Neutquam! si casus quosdam excepitis. Sic v. gr. (1) PAVLVS (d) successionem paetiam licitam profert: (2) licita habebatur si tertius consensit (e); (3) si hereditas iam (f) delata erat; et denique (4) miles his legibus prohibitus non tenebatur (g). Qualis differentia occurrit in materia de paetis? et quae sunt sexcenta id genus alia.

§ III

Monita perpendentem credere oportet, VLPIANVM, iuris Romani gnarum ac conditorem, si mortuorum agmen deserens, ad viuos reuersus, in Patria nostra vitam degeret, sua iura, secundum statum politicum Romani imperii condita, non tam crude applicaturum esse. Leges istas apud nos pro norma lites decidendi haberi et iam dum

rie period. III § 16, Jenae 1732,
4, 10. AD. KOPP in Historia
iuris Parte 5ta Epoch. 2, tb 2,
Marburgi 1741, 8, quanquam
differentiat GVNDLING in Gund-
lingianis P. III n. 2 § 15 et
alii.

- (c) vid. §. praec.
(d) in Lege 3 § 2 D. pro
socio.
(e) Lex fin. C. de paetis.
(f) Tot. tit. de hereditat. vel
act. vendit.
(g) L. 19 C. de paetis.

IVRIS PEREGRINI IN GENERE, SPECIES CET. 7

dum habitas esse negare nunquam ausus fuerim. Quam caute vero procedendum sit, alii iam ante me explanarunt. Reuoco, quae paulo antea (h) de receptione iuris peregrini in genere dicta sunt. Moneo: quod leges Romanae assumtae sint saluis moribus, saluisque legibus Teutonicis promulgatis (i). Iustinianus ipse iubet iudices secundum mores caussas decidere (k).

§ IIII

Pauca haec ad applicationem successionis liberorum naturalium in sextantem hereditatis paternae, legitimis deficitibus, apud Romanos, in Germania exfulis rite tandem, praemittenda necessario putauit. Transeo nunc ad thematis mei expositionem.

§ V

Liberi legitimi dicuntur, qui ex matrimonio legitimo nati sunt. Illegitimi autem, qui extra illud legitimum conubium procreantur. Matrimonium legitimum est, quod secundum legum praescripta est initum.

§ VI

Legitimo modo nati non solum diuersis a liberis illegitimis iuribus gaudent; verum etiam horum iura inter se inueniuntur discrepantia. Siue coniunctionum diuersa consideremus genera: siue personas concubentes. Et sic summa diuisio eorum erit, quod sint illegitimi aut Illustrum, et in specie secundum statum imperii Germanici, aut Procerum Imperii aut priuatorum, prout nempe vel Illustris vel priuatae personae concubare cupiunt.

§ VII

(h) § I.

§ 108 Ordin. Iud. Aul. Tit. I

§, und weilen.

(i) Reg. imp. de anno 1654

(k) pr. Inst. de Officio Iudicis.

8 CAP. I REGVLAS QVASD. EXHIBET DE RECEPT.

§ VII

Nati priuatorum illegitimi sunt vel clericorum vel laicorum. Illi, secundum ius canonicum definiti, sunt omnes liberi a clericis procreati. Iuris ecclesiastici protestantium tenor solummodo tales pronunciat, qui extra matrimonium legitimum clericum concubentem patrem agnoscant. Vbiique tamen diuersae qualitates ipsis attribui debent.

§ VIII

Laicorum liberi extra matrimonium nascuntur aut ex iis, qui sine benedictione sacerdotali coiuere: aut ex focaria: aut ex despontata: ex coitu aut furtivo aut damnato: aut quaestuaria muliere: aut denique ex concubina.

§ VIII

Sine benedictione sacerdotali generarim omnes coëunt, qui, nullo matrimonio legitimo iuncti, liberos procreant. Huc igitur pertinent omnes species coniunctionum enarratae ac enarrandae. In sensu strictiori autem tales intelliguntur personae, quae forte secundum statum naturalem matrimonium inire et solemnitates ciuiles omittere cupiunt. Huc pertinet potissimum matrimonium conscientiae, quod tamen, vbi benedictio sacerdotalis statuta, pro illicito et illegitimo omnino reputandum est (l).

§ X

Focaria erat clerici et presbyteri concubina. Focarius audit presbyter concubinarius (m).

§ XI

(l) Perillustris LIBER BA-
RO DE CRAMER in der
Wetzlarischen nebenstunden vier- tentheil C. VI § 9 Ulm. 1756, 8.
(m) CAROLVS DV FRESNE
in glossario Latin. T. II p. 523.

IVRIS PEREGRINI IN GENERE, SPECIES CET. 9

§ XI

Quicunque ante matrimonium, debito modo initum, attamen post sponsalia concubunt, eorum liberi nominantur nati ex despontatis, liberi ex sponsa.

§ XII

Ex coitu furtiuo natus dicitur, cui femina, modo illicito, non damnato tamen, cum uno solum concubens mater existit. Coitus damnatus est concubitus per leges ciuiles tanquam publicum atrocius crimen consideratus. Ita definire cogor; cum non solum species vulgo notatae (e. gr. si consanguinei concubunt,) huc pertineant; verum etiam coitus cum monacho seu moniali cet. (n)

§ XIII

Quaestuaria dicitur mulier, cui cum pluribus libidinis lucrique caussa res est. Talis apud Romanos erat impunitus coitus. Nam Liuiae, filiae Octauiani Augusti, exemplum, ac Liuiae, eius neptis, huc non pertinet (o). Lupanaria enim publica auctoritate tolerabantur (p).

§ XIV

Species enumeratae necessario praemittendae erant, ut huiusmodi liberos illegitimos probe a liberis naturalibus discernere valeamus.

§ XV

(n) I. H. BOEHMER in *Iure Eccles. Prot. Lib. IV Tit. XVII* § 4.
BERG. *Opuscula, § XV p. XXVII*

ANDR. FLORENS RIVINVS
de muliere quaestuaria § III, p. 3,

10. GVL. HOFMANN ad *E. Iuliam de adulteriis p. 43.*

(o) Vir Perillustris et Magnificus 10. GE. ESTOR *Iurisprudentia Q. Horatii fl: de qua praefatus est ad LAVR. ANDR. HAM-*

(p) L. 13 § 2 D. ad L. Iul. de adult. L. 22 C. eod.

B

10 CAP. I REGVLAS QVASD. EXHIBET DE RECEPT.

§ XV

Nominantur autem liberi naturales, qui ex concubina sunt procreati. Concubina dicitur femina in concubinatu viuens. Concubinatus denique est societas domestica licita, inter coelibem et feminam, cum alio non concubentem, absque solemnibus nuptiarum, citra affectionem maritalis, procreandae sobolis caussa, inita (pp).

Non accedo eorum opinioni, qui, concubinatum sollempmodo concubitus causa iniri, sibi persuadent. VLPPIANVS enim distinete loquitur, dicens (q): „mulierem non „ nisi dignitate a concubina discerni“. Quare sobolis procreatio pro fine non solum matrimonii sed etiam concubinatus haberi debet. Nituntur, uti opinor, contrariam tuentes sententiam, auctoritate iuris canonici. Respici forsitan potest ad ea, quae AVGVSTINVS in Libro de bono coniugali (r) affirmit. At seriem textuum, capiti isti derogantium, opponere, negotium permagnum et maximi consilii neutiquam esset; attendam solum, quod idem AVGVSTINVS, contra IVLIANVM, (s) clarioribus verbis exprimit. Affectio maritalis, de qua locutus sum in definitione, discernatur necesse est ab amore coniugali. Hic enim, si verbum, coniugali, in sensu strictissimo non sumis, a concubinatu nunquam remoueri potest (t). Ista affectio autem consistit in effectibus ciuilibus ac participatione

(pp) ita fere MARCVS PAVLVS ANTONINVS quidam in confutatione dubiorum, quae contra Scheldiasma Halense de concubinatu mota sunt § 3 m 4 Argentorat. 1714 ed.

(q) L. 49 § 4 D. delegat. III.

(r) c. 6 C. 32 q. 2.

(s) c. 2 C. 32 q. 1.

(t) MARCVS PAVLVS ANTONINVS in tract. cit. § VIII.

IVRIS PEREGRINI IN GENERE, SPECIES CET. II

tione eiusdem honoris et commodi; amorem comprehen-
dit coniugalem, communicationem vitae, fortunae ad-
uersae et secundae (u). Feminam vilioris conditionis,
apud Romanos, ad naturam concubinatus pertinuisse, qui-
dam putant (v); ast inconcinne, vti credo. Infra enim
probabo; ingenuam concubinam factam esse, dummodo
testatio solemnis praecesserit. Si vero sub femina vilioris
conditionis etiam ingenuam, concubinatum, praeuia te-
statione, eligentem, intellexeris, tibi assensum meum
praebeo.

§ XVI

Inter concubinam et pellicem olim nulla erat differen-
tia. PAVLVS enim affirmat (w); pro pellice apud anti-
quos eam esse habitam, quae, cum vxor non esset, cum
aliquo tamen viuebat. Postea autem pellex nominata est,
quae cum eo, cui vxor est, corpus miscet.

§ XVII

Concubinatus est societas (x). Hanc variis modis
iamiam solui posse, nemo negabit. Praeterea autem con-
iunctioni illi leges peculiares attribuerunt qualitates. Fa-
cilius ab eo recedi potest quam a matrimonio (y). Caus-
ae discedendi forte gradu differunt, ita, vt in matrimonio

B 2 requi-

(u) S. PETRVS ENCRATI-
TA in epistola ad illustrem Abba-
batem Bergensem de concubinatu
§ XVI Tubingae recusa 1714.

(v) Vid. IO. GOTTL. HEI-
NECCI elementa iuris ciuilis se-
cundum Ord. D. L. XXV T.
VII § 1. H. BOEHMER in

compend. Pand. L. XXV T.
VII § 1.

(w) in Lege 144 D. de V.S.

(x) § V supra.

(y) L. 1 pr. D. de concub.
IVST. HENN. BOEHMER Ius
excl. Prot. L. III T. II § 9.

12 CAP. I REGVLAS QVASD. EXHIBET DE RECEPT.

requirantur grauiores, in concubinatu leuiores, imo leuissimae (z).

§ XVIII

In concubinatu viuere poterat tam liberta quam ingenua: dummodo ratione huius testatio solemnis, id est, declaratio, se concubinam esse talemque nominari velle, praecesserit (a). Serua laudatam coniunctionem inire nequit, quippe quae in contubernio viuit (b). Nec plures simul vnius concubinae esse possunt. Satis clare hoc praecipit IVSTINIANVS (c). Quaecunque vero secundum legum praescripta concubina facta est, per affectionem solummodo maritalem a legitima vxore discernitur (d). Praecipuum requisitum, absque quo nulla intelligitur concubina, adhuc superest. Oportet nempe illam in domo mariti habitare et vxoris officio fungi (e). Vxoris loco est: domestica debet esse et quasi focaria, (f) quae indubitate affectu habetur (g).

§ XVIII

Praeter ea, quae in paragrapgo antecedente monui, varia adhuc, tum in fauorem concubinatus, quum ad illum restringendum, constituta reperiuntur. Respicio solummodo ad successionem ex testamento et ab intestato. Ratione illius, liberis legitimis non exstantibus, patri permittentur.

(z) MARCVS PAVLVS ANTONIVS cit. traet. § 16.

(a) L. 3 pr. D. de Concubin.

(b) L. 3 C. de secund. nupt.

VLR. HVBER in praelectionibus
ad Pandectas L. XXV T. VII
§ 3.

(c) in Nouella 18 c. 5.

(d) L. 49 § 4 de Leg. III.

(e) Nou. 89 c. 12 et praeser-

tim § 4.

(f) VLR. HVBER l. c. pr.

(g) Nou. cit. 89 c. 12 § 4
et vlt.

mitrebat, liberos naturales in solidum instituere (h). Matre vero, vel liberis legitimis cuiuscunque gradus existentibus, vnam tantum vinciam liberis naturalibus: quod si vero concubina solummodo supersit: huic semunciam relinquiri posse, AR CAD IVS et HONORIVS Imperatores sanctiuerunt (i). Quoad matrem, facultatem testandi restringentem, alter postea dispositum fuit (k), ita, vt nunc soli liberi potestatem illam ultra vinciam relinquendi admant. Respiciendum denique est: quae IVSTINIANVS statuit (l). Vult ante omnia, vt, si cui essent filii legitimii, naturalibus et eorum matri ultra vnam relinquere vinciam, aut plus donare, fas neutiquam esset; deinde, si quis non habeat filios legitimos, attamen parentes, seu alios, quibus legitima debetur, naturalibus et concubinae omnia sua bona quoconque titulo relinquat, excepta tamen legitima parentibus aliisque debita. Nullis vero relictis legitimis: patri facultas datur, liberis suis naturalibus omnia sua bona, siue per testamentum, siue per legatum, siue per donationem mortis caussa aut inter viuos relinquendi.

§ XX

Si pater liberorum naturalium intestatus moritur, nullamque legitimam sobolem nec legitimam vxorem reliquit, natos naturales IMPERATOR IVSTINIANVS vocat ad sextantem (m) hereditatis paternae; hancque ne amittunt quidem, si fiscus succedit. Quod si autem vxor legitima

B 3

aut

(h) L. 12 C. de Nat. lib.
Nou. 82 c. 12.

(i) L. 2 C. de nat. lib.

(k) vid. Autb. nunc soli C.
eod.

(l) in Nouella 89 c. 12.

(m) Sextans, vt nemo fere ignorat, est sexta pars hereditatis, seu duae partes, si relicta bona in duodecim partes diuiduntur: $\frac{2}{12}$.

14 CAP. I REGVLAS QVASD. EXHIBET DE RECEPT.

aut liberi legitimi exstant, hi tanquam heredes patris alimenta liberis naturalibus praestare, seu, vti Iustinianus loquitur, illos pasci debere. Quantitates alimentorum secundum patris facultates, boni viri arbitratu, determinantur (n). Alimenta haec praestari deberi puto etiam in casu, vbi nulli liberi legitimi, nec vxor legitima adsunt, ita, vt a proximis successoribus, vna cum duabus bonorum vniuersi, illa accipient (o).

§ XXI

Ex hisce priuilegiis, in paragraphis antecedentibus enarratis, satis appetet; concubinatum iure Romano societatem fuisse licitam. Qui tamen adhuc dubitat, consideret ea, quae MARCIANVS Iureconsultus dicit (p).

§ XXII

Explicata, quatenus ad meum scopum pertinet, natura concubinatus; hunc facile discernere possum a matrimonio. Conueniunt quidem, quod concubinatus (q) aequae ac matrimonio sit societas; vtraque viri et mulieris coniunctio nominetur: vtrumque coniunctionis genus sit licitum (r): vtrumque a lege nomen acceperit (s); vtrumque inter eas personas tantum locum inueniat, quae honeste coniungi possunt (t); neutrumque stuprum vocari queat (u) cert. Differunt vero in plurimis. Concubinatus est societas, quae facilius quam matrimonium solui potest (v). Hoc est coniunctio legitima; sed concubinatus

(n) cit. Nou. c. 12.

(o) cit. cap. § 4.

(p) in L. i § 3 D. de concubin.

(q) § VI supra.

(r) § X sup.

(s) L. 3 § 1 D. de concubin.

(t) § VII supra.

(u) L. 3 D. de concub.

(v) § XVII supra.

natus tantum licita. Ex illo nascuntur liberi illegitimi: ex hoc legitimi (w). Nullum coniugium sine dote intelligitur: in concubinatu dos non adest. Illud requirit maritalem affectionem; at hic nunquam (x). In illo dignitatis ratio habetur: non aequa in hoc (y). Si coniux res quasdam subtraxit, non furti, sed rerum amotarum actione tenetur (z); concubina vero furti conuenitur (a). Diuortium inter coniuges: non occasione concubinatus oriri potest (b). Inter coniuges adulterii accusatio non reiicitur; quamquam inter concubinam et eum qui concubat: nisi sit patroni concubina (c). Liberi e concubina procreati illegitimi non gaudent iure agnationis, nec iure succedendi patri, nisi in sextantem (d): legitimi accipere debent totam hereditatem. In matrimonio reperitur vxor; concubina tantum vxoris loco est cet.

§ XXIII

Concubitus quomodo discrepet a concubinatu, facile est diiudicandum. Ili enim plane nullum praefidium in legibus conceditur: est ergo coniunctio corporum non solum illegitima verum etiam illicita, imo delictum publicum, ita, ut dimidiae partis bonorum publicatio illud sequatur, si stupri damnatus honestae fuerit existimationis: sin turpis; verberatus relegetur (e). Concubitus cum

pluri-

(w) Nou. 89 c. 12.

si baev ergo cessat, nullum diuortium adulfe potest.

(x) arg. L. 4 D. cod.

(c) L. 41 § 1 D. de R. N.

(y) L. 49 § 4 D. de Leg. III.

iunct. L. 13 pr. D. ad L. Iul. de

(z) L. 2 D. rer. amot.

adult.

(a) L. 17 eod.

(d) Nou. 89 c. 12.

(b) L. dict. 17 hic enim ex-

(e) ARN. VINNIUS in Comment.

presse dicitur, diuortii causa compete actionem rerum amotarum:

ad Inst. L. IV T. 18 § 4, VLR.

HVEBER ad Inst. L. IV T. 18 § 6.

16 CAP. II EXHIBENS EA QVAE IVRE GERMANICO

pluribus committi potest; in concubinatu vna tantum femina soluta adesse debet. Ille adhibetur solummodo libidinis caufa; hic etiam ad liberos procreandos. Liberi ex illo procreati sunt diuersi, ratione personarum concubentium, aut spurii scilicet aut incestuosi aut adulterini: ex hoc solummodo naturales procreantur. Spurii patri plane non succedunt: at naturales certis in casibus admittuntur, cet.

CAP. II

EXHIBENS EA, QVAE IVRE GERMANICO
VETERI ET NOVIORI AC CANONICO
SANCITA SVNT.

§ XXIII Annotatur odium Germanorum in coniunctiones inaequales.

§ XXV Concubinatum non probabitum fuisse, probatur.

§ XXVI Quales effectus produxerit concubinatus,

§ XXVII anne Germanis femina vilioris conditionis concubina tantum fuerit,

§ XXVIII utrum Imperatores

Christiani, usque ad Leonem Philosophum, concubinatum prohibuerint, exponitur.

§ XXVIII Continet prohibitio-

nem a Leone X, factam.

§ XXX Cur concubinatus iure no-

viori probitus sit, ostendi-

tur.

§ XXXI et § XXXII prohibitio-

nes ipsas sistunt.

§ XXIII

Germanis coniunctiones inter inaequales personas odio fuisse, inter omnes constat. Exempli tantum caufa leges quasdam adducere mihi licebit. Inspiciamus modo LEGEM SALICAM (f). Perpendamus severitatem LEGVM

(f) Tit. XIV n. 11;

GVM BVRGVNDIONVM (g). Testis etiam huius dicti est ADAMVS BREMENSIS (h). Hanc materiam foli-dissime reperies expositam in Dissertatione solemni Viri Ma-gnifici atque Illustris IO. IAC. SORBERI, sub Praesidio Viri Perillustris et Magnifici IO. GE. ESTORIS, habita (i).

§ XXV

In his autem ratio ponenda, cur Germani coniunctio-nem, quam vocant, concubinatum, permiserint (k). Sic enim antiquioribus temporibus omnino non prohibitus erat. Leges, mores ac exempla meam confirmant senten-tiam. Patet hoc ex decisione Imperatorum KAROLI MA-GNI et LVDOVICI PII (l). Idem Imperatores alibi in eandem eunt sententiam (m). Attamen illam coniunctio-nem, qua maritus, praeter vxorem, adhuc concubinam sibi eligebat, eidem legislatores damnarunt (n). Nec alia praecepit Lotharius I. (o)

Exempla quam plurima testium loco esse possunt, eo tempore concubinatum licitum fuisse. Ast finis dissertationis meae non permittit, omnia illa annotare. Sufficiant quaedam. Bernhardum, Italiae Regem, qui circa secu-lum nonum potissimum regnauit, circa finem seculi octauii ex concubina Pipini natum fuisse, testis est THEGANVS (p). Arnulphus Rex, filius Karolomanni, ex concubina

fuit

(g) Tit. XXXV n. 2.

(k) I. H. BOEHMER in L.

(h) in historia ecclesiastica L.

E. P. L. III T. II § 19.

I c. 5.

(l) in capitul. L. VIII c. 59.

(i) De odio in matrimonia
inaequalia et restrictio iure nobili-tatis Germaniae quoad connubia,

(m) L. cit. c. 105.

Ienae 1740.

(n) L. cit. c. 336.

(o) vid. Leges ipsius et quidem

L. 39.

(p) in Geslis Ludou. Imp. § 22.

C

18 CAP. II EXHIBENS EA QVAE IVRE GERMANICO

fuit procreatūs (q). Adeo Karolum magnum, qui pluribus cum concubinis vixit. Quem quidem permulti, adulterum ideo nominare, non erubescunt. Sed incertum simul relinquere debent, vtrum istas concubinas vna, aut praeter legitimas vxores, vtrum successiue habuerit. Priorem quidam sententiam defendunt. Quibus tamen haud incongrue alii contradicunt(r), allegantes verba PAVLI WARNEFRIDI, quae sic se habent: „*habuit tamen (Karolus magnus) ante legale connubium ex Hilmetrude, nobili puel- la, filium, nomine Pipinum.*”

§ XXVI

Vti vero Teutones, coniunctionem inaequalium personarum euitantes, poenam statuerunt in eos, qui inaequalis ordinis coniugem sibi elegerunt: ita nullos fere effetus ex concubinatu produci, leges Germaniae permisere. Nullum inde ius agnationis oriebatur: paucae nationes liberos naturales admiserunt ad successionem parentum, si Gothos et, forsū certis ex caussis, Francos exceperis (s). Nullus contrariam defendere potest sententiam per exempla, paullo ante allegata, aliaque, vbi liberi illegitimi ad successionem admissi sunt. Nemo argumentari potest: Bernhardus et Arnolphus successerunt, ergo liberi e concubina procreati admitti debuerunt. Quemnam enim latent media et caussae, cur isti Regum filii aliquatenus pro liberi illegitimis sunt declarati (t)? Evidem non nego, leges

(q) refert hoc exemplum I. H.
BOEHMER in l. E. P. L. III
T. II § 17 ex REGIN. PRV-
NIENS. in chron. ad ann. 886.

(r) BOEHMER l. c. § 19, B.
G. STRVVE in der deutschen

Reichsbistorie Per. IV Sect. I § 6.

(s) Vide Viri Magnifici et
illustri S. IACOBI SOR-
BERI Dissertationem laudatam §
59 sch. 2.

(t) forte propter fortitudi-
nem

leges Langobardorum in fauorem liberorum naturalium quaedam disponere. Sic ROTHARIS, Rex illorum populorum, (u) statuit: *Si quis dereliquerit filium legitimum unum, quod fulboran, et filios naturales, unum aut plures: filius legitimus tollat duas portiones de patris substantia, naturales vero tertiam; et si sint duo legitimi: habeant quatuor partes; naturales quintam partem, quanticunque fuerint. Et si tres fuerint legitimi: habeant naturales septimam partem.* At secundum Capitularia Regum, KAROLI MAGNI et LVDOVICI PII, supra allegata (v), et quidem per verba: *non omnis mulier viro iuncta vxor est viri, neque omnis filius est heres patris* (w); contra liberos naturales omnino iudicandum erit.

§ XXVII

Romanis concubinam, vilioris tantum conditionis, ducere permisum erat, et ratione ingenuae solemnis testatio requirebatur. Germanos autem concubinatum cum ingenuis, absque testatione, iniisse, affirmare nullus dubito. Leges allegatas contemplantem subintelligere oportet, coniunctionem istam ex nuptiali mysterio tantum aestimatam fuisse (x). Et hoc a coniunctione, tam aequalis cum aequali quam cum inaequali, abesse potest. Licet

C 2

non

*nem cet. vid. I. H. BOEHMER
l. c. § 16 et 17, B. G. STRV V*

*ubi eadem verba a Leone, Papa,
repetitae inuenies.*

*Iurij prudentia Heroica Tom. I
pag. 476, Ien. 1745, 4, idem
testatur de Arnulpho.*

(x) *Mysterium hoc, fuisse sa-*

*(u) in L. 154 vid. vltierius
L. 155, 156, 157, 158, 159,
160 cet.*

cramentum matrimonii, putat

(v) § XXV.

*I. H. BOEHMER in I. E. P. L.
III T. II § 20, IO. NICOL.*

(w) conf. c. 12 C. 32 qu. 2

HERT in comment. de matrimo-

nio putatio § 4, pag. 9, rec.

Gieffae 1727, 4.

20 CAP. II EXHIBENS EA QVAE IVRE GERMANICO

non negauerim, plurimas concubinas fuisse vilioris conditionis et inferioris, masculo concubente, ordinis.

§ XXVIII

Plura, de concubinatu ex legibus Teutonicis antiquis, differere instituti mei ratio non permittit. Ostendi hucusque: licitum eum fuisse tum secundum leges Romanorum quum Germanorum. Transeo iam ad illa legum capita, in quibus interdictus est. Et sic paucis annotabo, Imperatores Christianos, usque ad Leonem Philosophum, nullam, ratione concubinatus, tulisse legem prohibitiuam. Probata haec inuenies a THOMASIO (y), simul demonstrante; CONSTANTINI MAGNI sententiam haud fuisse concubinatum damnare (z). Quod autem hic Imperator, talem coniunctionem, in matrimonium solemne mutare, tentauerit, ac leges eum in finem promulgare iusserit: cum BOEHMERO affirmare conor (a). Ideo enim du riorem naturalium liberorum conditionem effecit (b). Quilibet fere nihilominus concubinatu erat deditus, atque in illo impune viuebat. Tandem LEO PHILOSOPHVS, IMPERATOR, qui circa finem seculi noni, adeoque plus trecentis triginta post Iustinianum annis, vixit, legibus hac in causa permissius derogauit, ac prohibitiuam eorum loco tulit (c). In hac nouella, nos tamen, viuentes in Germania, non obligante, concubinatum, tam perpetuum quam temporarium, prohibitum esse, contendo (d).

§ XXVIII

(y) in *Dissertatione de concubinatu* § 17. habita Halae 1713.

(z) id. ib. § 17 not. a.

(a) loc. cit. § 12.

(b) in L. 1 C. de natural.

(c) in Nou. ipsius 91.

(d) quanquam alii dissentiant.

vid. AVG. A LEYSER in *Meditationibus ad Pandectas Spec.*
585 m. 1.

§ XXVIIII

Orientem tantum concubinatum fugere, in lege illa iuberi poterat. In Occidente varia prohibitionum genera occurunt. Cum vero proposito meo non respondeat, historiam illarum scribere: alii in super viri eandem iam satis docte exposuerint (e): mitto quae de doctrinis patrum, speciatim de iure canonico, longa serie moueri possint (f). Subsistit in prohibitione a LEONE X PONT. ROM. (g) facta. Hic tum clericis quum laicis, non solum concubinatum temporarium, verum etiam perpetuum interdixit. Quod postea adhuc factum in CONCLIO TRIDENTINO (h).

§ XXX

Quaecunque demum ratione concubinatus hucusque licita erant; nouiori patrio iure penitus reiiciuntur. Rationes perlustrans permultas obseruabit. Sic v. gr. prouin-

C 3

(e) vid. tot. cit. dissertationem THOMASI, I. H. BOEHMERVM in I. E. P. L. III tot. tit. II.

(f) Concubinatum iure Canonico licitum esse; contendunt: THOMAS, cit. Diff. § 23; ZIEGLERVS in not. ad Lancellot. L. IV T. 8 § vlt. G. A. STRVIVS in comment. ad D. Ex. 30 tb. 89, I. BRVNNEMANNVS in comment. ad L. 3 D. de concubin. cet. Dissentunt autem: STEPHANVS GRATIANVS in Disceptationibus forensibus C. 31 n. 3 Tom. I. I. GODDAEVVS in

comment. ad L. 144 D. de V.S. n. 9 pr. cet. vide interim c. 4 et § diff. 34, c. 5 et 6 C. 32 q. 2 ubi concubinatus non damnatur. Interea THOMASIVM confutare studuit IO. FRID. GVIL. DE NEVMANN de matrimoniis Principum p. 82 sq., 1751, 4.

(g) anno 1516 14 kal. Ian. publicata et Lib. VII decretalium Tit. 16 c. 1 inserta.

(h) Sess. 24 de reformat. matrimon. c. 8, ibique AVGYSTIN. BARBOSA in collectaneis Doctor, p. 278 sq. 1672 fol.

22 CAP. II EXHIBENS EA QVAE IVRE GERMANICO

uinciales magistratus prouincialem feminam, liber homo ancillam, matrimonio sibi iungere olim non valebant cert. res publica inidoneos accipit ciues, et concubitus, solius libidinis caussa, a concubinatu, cuius principale requisitum est: ut liberorum procreandorum gratia ineatur, haud facile discerni possunt: tandemque benedictio, quam vocant, sacerdotalem, ad quamcumque coniunctionem inter marem et feminam necessaria habita est cet. (i)

§ XXXI

Hunc in finem Imperator KAROLVS V, concubinatum, ex enarratis, multisque aliis, caussis prohibuit (k). Hac ordinatione omnem, concubinatum interdictum esse credo. Alter quidem sentit THOMASIYS (l): concludens per verba: *dieweil auch viel leichtfertiger personen ausserhalb von Gott aufgesetzter ehe zusammen wohnen, auch der öffentliche ehebruch nicht gestrafft wird:* locutum hic fuisse de concubinatu non indiquiduo: cum personae in laudato concubinatu viuentes dici nequeant; *leichtfertige:* illico-

que

(i) *Haec quidem in se et sua natura non pertinet ad legitimum matrimonium. Attamen prouocare licet ad omnes ordinationes Germaniae prouinciales.* Perill, LIBER BARO DE CRAMER in der Wetzlarischen nebenstunden IVten theil p. 124. Addu HAINR. CHRISTOPH HOCHMANN de benedictione nuptiar. cap. VI p. 250 sqq. 1685, 4; JOSEPH. BINGHAM originum ecclesiasticar. vol. IX p. 331, 1729, 4, et qui bis contradicit, ALEX. GVINAND. PAGENSTECHER in differt. be-

nedit. sacerd. non esse de essentia matrimonii § 5 sqq. 1752, 4. Decisum PP. Romani Enedicti XIV, quo constituit, ut liberi Belgarum, quorum matrimonia carent benedictione sacerdotali, nihil minus sint legitimi habendi, obici nequit.

(k) in Ordinat. Polit. de anno 1530 Tit. 23, von leichtfertiger beiwohnung. Eadem repetita sunt in Ord. Pol. de anno 1548 Tit. 25.

(l) in cit. Diff. § 29 in schol.

que mentio adulterii fiat. Sed ex tenore dictorum proprio alioeo fluit, omnes illas personas, quae extra matrimonium, a Deo institutum, cohabitant, tales esse, quae hic, *leichtfertige*, dicuntur.

§ XXXII

Dubia tamen, a THOMASIO proposita, maioribus forsan nostris in mentem iamiam venerunt. Ideo postea distinctius dispositum est in Ordinatione Polit. de anno 1577 (m). Vbi verba ita se habent: *dienveil auch viel leichtfertiger personen außerhalb von Gott aufgesetzter ehe zusammen wohnen; derhalben ordnen und wollen wir cet.* Hic omissa sunt verba: *auch der öffentliche ehebruch: usque ad illa: ursach gibt: inclus.* Hisce expositis: diuersa, inter concubinatum iuris Romani et hodierni, facile annotari possunt. Applicationem itaque successionis in sextantem, iure Quiritario, liberis naturalibus indultae, in capite sequente exponere sollicitus ero.

CAP. III

SISTIT ARGUMENTA, EX QVIBVS, SVCCESIONEM IN SEXTANTEM HODIE EXSVLEM ESSE, EVINCI POTEST.

§ XXXIII *Probatur concubina-
tum, non obstante iure Ro-
mano, delictum esse,*

§ XXXIV *illum iure impossibi-
le quid recte nominari,*

§ XXXV *successionem in sextan-
tem ideo hodie non dari.*

§ XXXVI *Ex ipso iure Romano
argumenta defununtur.*

§ XXXVII *Corroborantur dicta
per certa concubinatus re-
quisita,*

§ XXXVIII *per clausulam: re-
bus sic stantibus,*

§ XXXVIII

(m) *Tit. 26 von leichtfertiger beimohnung § I.*

24 CAP. III SISTIT ARGVMENTA, EX QVIBVS,

§ XXXVIII per regulam: ces-
sante ratione legis iusta, ces-
sat lex ipsa,

§ XL per argumentum ab odio
Germanorum in liberos ille-
gitimos defundit,

§ XLI ex inaequali condicione li-

berorum naturalium et spu-
riorum.

§ XLII Affensum Doctorum con-
tinet.

§ XLIII Quæstio: utrum con-
cubina, exclusis liberis na-
turalibus, sextantem petere
posset? eruitur.

§ XXXIII

Quod ius Romanum in subsidium tantum sit rece-
ptum: ne probare quidem per leges necesse puto, cum
nemo in contraria sit iturus sententiam. Inde autem se-
quitur: si mores probi, legesque Germaniae, præsertim
recentiores, aliquid praecipiunt, has constitutiones præ
iure Romano sequi oportet. Et haec demonstratione haud
indigent. Iam ad concubinatum. Si talis coniunctio, iu-
re patrio nouiori, prohibita, tanquam crimen reiecta poe-
naque in illam statuta est: prohibita etiam manet, usque
dum a Proceribus Germaniae alia lex sit lata; quanquam
ius Romanum diuersa disponat. En! nemo contradicit!
His positis, ponatur necesse est: nemini, contra tales
prohibitionem aliquid committere, licitum esse. Omnes
que consentiunt. Quicunque vero contra prohibitionem
legis agit, delinquit. Nam delictum est factum illicitum
contra legum humanarum poenaliū dispositionem sponte
commisum (n). Concubinatum expresse et quidem sub
poena extraordinaria interdictum esse; ex capitis antece-
dentiis arguento patet. Quare ut delictum in Germania
consideratur ac nemini licet in illo viuere. Omnes diffe-
rentiae

(n) GEORG. AD. STRVV. in Syntagmate Iuris civilis, Ex. 48
tb. 2.

SUCCESS. IN SEXTANTEM HODIE EXSVL. CET. 25

rentiae inter illum et concubitum supra notatae (o) hodie cestant. Accedo igitur S. PETRO ENCRATITAE, conciliatori inter THOMASIVM et BREITHAVPTIVM, dicens (p): *concubina hodierna et meretrix differunt, sicuti lardum et caro suilla:* Optime! bene! belle!

§ XXXIII

Nulla propositio verior est sequente: concubinatus, iure Germanico, impossibile quid, vocari meretur. Quid dicens? obiiciunt mihi: amice! Quid? Annon personae solitae, diuersi sexus, societatem domesticam inire possunt? ac ita quidem, vt propositum capiant liberos procreandi? Annon femina soluta vilioris conditionis esse: aut, si eiusdem cum marito ordinis, testatio solemnis interponi; annon mulier illa perpetuo, ceu vxor in domo mariti manere potest? cet. Omnia concedo. Ast vnicum requisitum adhuc deest. Coniunctio licita. Hac deficiente: omnes vestrae ratiocinationes corruunt: et proh dolor! integer aliarum propositionum cumulus simul in nihilum redigitur. Repeto itaque, concubinatum impossibile quid recte nominari.

§ XXXV

Destrueto fundamento, tollitur aedificium. Concubinatus constituit fundamentum, vnde tota doctrina de liberis naturalibus in iure Romano ortum trahit. Cum autem ille hodie sit impossibilis (q), sequitur: liberos naturales, hodie in Germania, dari, affirmantem, contendere aliquid, quod in sua natura fieri nequit. Quicunque impossibilia contendit: sanae rationi aduersa effatur. E. qui-

D

cunque

(o) § XXIII. (p) in epistola ad illustrem Abbatem Bergensem de concubinatu § 4 pr. (q) § anteced.

26 CAP. III SISTIT ARGVMENTA, EX QVIBVS,

cunque serio affirmat, dari, hodierno iure Germanico priuato, liberos naturales; incongrue omnino agit. Liberi naturales, omnium illorum, quae vt effectus coniunctionis certae illegitimae attamen licitae in Iure Quiritario occurunt, causae sunt. Si itaque probauit; existentiam istorum naturalium liberorum hodie impossibilem esse: probatum simul est: omnes effectus, adeoque successionem in sextantem hereditatis paternae, cessare debere. Si quis obiicere vellet: concubinatum phisice nihilominus possibile quid manere; respondeo: quod phisice plane nulla differentia occurrat inter concubitus. Hi enim, ita considerati, vnico solum modo peragi possunt. Moralitas actionum determinat differentiam inter matrimonium, concubinatum cet. Quum itaque per leges imperii omne moraliter bonum a concubinatu est remotum, sequitur; talem coniunctionem esse impossibilem.

§ XXXVI

Quae supra (r) iam demonstrauit, concubinatum nempe delictum esse; ex eo adhuc patent, quod circa stuprum et illam coniunctionem vna hodie valeat dispositio. Nunc ex ipso iure ciuili Romano regulas assumam. VLPIANVS ita pronunciat (s): *Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest.* Lex itaque non debet esse turpidinis occasio sed sancta et honesta: vnde non valet statutum, vt impudicte viuatur, vel quo crimina nutrientur (t). Quis igitur, effectus, iure Romano, ex concubinatu vt actu licto oriundos, nihilominus hodie ad concubitus illicitos applicari posse, affirmando non erubescit? Qualis esset prohibito in legibus Germanici Imperii nouioribus facta?

(r) § XXXIII.

(s) in L. 134 § 1 D. de R. I.

(t) ANDR. GAIL L. II obs.

88 n. 3 pag. 331, 1578 fol.

facta? Hic omnes coniunctiones illegitimae pro illicitis habent poenaque simul afficiuntur, modo pecunaria, modo corpori infligenda, et quidem vtrisque personis tali modo concubentibus (u). Stuprum nominatur atrox delictum: nulla differentia relinquitur inter illum et concubinatum Romanum: omnes haec coniunctiones poenam merentur: et nihilominus attribuere deberem tali delicto effectus in commodum eius, adeoque tanquam priuilegia! Heu! sic argumentari nequeo. Admittendum non est factum damnatum et simul priuilegiatum. Quicunque aliter fentit, sequentem in modum, sane egregium, concludere debet: concubinatus et stuprum hodie sunt facta illicita; sed quia ille olim fuit licitus stuprumque loco eius hodie solummodo exsistit; hoc, quanquam delictum ac poena in illud statuta sit ut evitetur: simul tamen praemio et priuilegio gaudet, ut quilibet incitetur, ita concubere. Hem qualis conclusio!

§ XXXVII

Sed quid ad nos leges Germaniae? quidam forsan dicunt. Ius Romanum semel est receptum: ergo ei standum erit. Assumam, quaeso! hunc in finem tuum iudicium. Age! ignoraturus iam, quid legitimo modo ab Imperatore et Ordinibus Imperii nostri Germanici est constitutum, ita argumentor. Quodlibet priuilegium seu ius singulare intelligitur prout a superiore, seu priuilegium concedente, est determinatum. Successionem liberorum naturalium priuilegiorum esse, ex eo fluit; quod regula sit generalis: liberi illegitimi non succedunt, exceptis naturalibus. Hic igitur locum habet exceptio a regula; quae nihil aliud constituit ac priuilegium. Inquiramus iam, quid

D 2

requi-

(u) *Reformation guter polizei de anno 1577 T. 26 § 1.*

requisitum fuerit, vt liberi naturales ad sextantem admitterentur. Dimitto concubinatum. Subsistit tantum in requisitis quibusdam. Et hic ante^o omnia annotandum erit, masculo vna tantum femina vti permissum fuisse, adeoque illam non vagae libidinis caussa ducere. Concubina esse debebat domestica et quasi focaria, quae indubitato affe^otū habetur: liberos in domo mariti esse educatos requireretur: cet. IVSTINIANVS dicta confirmat sequentibus praeferim verbis (v); *talibus enim solummodo hoc sanctimus ubi indubitat^es concubinae in domo affectus, et filiorum ibidem proles.* Vbinam haec pauca requisita, vt cetera deseram, in coniunctionibus hodiernorum temporum adfunt? Raro inuenis masculum, semel ad concubitum illegitimum progredientem, vna tantum femina contentum. Modo hanc modo illam diligit amatque. Quisnam dicere conatur, stupratis nostras apud maritum in domo manere, domesticas et quasi focarias esse? liberos ibidem educari? cet. Ex his circumstantiis, ad priuilegium, liberis naturalibus iure Romano indultum, necessariis ac hodie deficientibus, concludo: successionem in sextantem in Germania esse exsulem, et si nullae leges Imperii adfuerint, quae concubinatum, liberorum naturalium caussam, damnant. Non nego quidem, hodie adhuc fieri posse; quod quis vnam tantum feminam, vti maritus vxorem, diligat: quod haec dilecta esse possit domestica et quasi focaria: quod liberi educari possint in domo mariti cet. Sed vera haec tantum sunt, si quaeris; an? sin autem interrogaueris; quot talium coniunctionum existerent? Paucae et forsitan nullae: respondeo.

§ XXXVIII

(v) *Nou. 89 c. 12 § 4 et vlt. L. III de succ. ab intest. sec. Nou. VLR. HVBER in Prael. ad Inst. 118 § 7.*

§ XXXVIII

Clausula: rebus sic stantibus: tam iure ciuili (w) quam naturali (x) est fundata. Applicari suo modo potest tam ad contractus quam ad paecta: non solum ad leges sed etiam ad testamenti factio[n]em, quae itidem iure veteri lex fuit. Caussa determinante; caussa finali cessante; id quoque cessare debet, quod illa ratio determinauit. Voluntatis enim nostrae declaratio per rationes, in mente nostra obuenientes, determinatur. Ait MARCIANVS (y): *quae in eam caussam peruererunt, a qua incipere non poterant, pro non scriptis habentur.* Certum vero est, si concubinatus tempore Romanorum fuisse prohibitus, priuilegium liberis naturalibus de succedendo in sextantem non fuisse concessum. Nunc autem ille hodie est damnatus, adeoque dispositio Romanorum in eum statum peruenit, a quo incipere non potuisset: ergo pro non scripta haberi debet.

§ XXXVIIII

Regulam: cessante ratione IVSTA, cessat AEQUITAS legis ipsa: applicandam esse, supra (z) probauit. Haud quidem credo, nullas, a regula illa, exceptiones dari. Sed nihilominus firma manet, et exceptiones probanda sunt. Ratio cur Romani concubinatum permiserunt, (a) tempore Leonis Philosophi existere iamiam defierunt; multo magis illae hodie cessare debent. Cur ergo, reiecta ratione, retineri debet lex ipsa? Reuoco dicta

D 3

in

(w) Vir ill. KAROL. PHIL. KOPP in dissertatione inaugura[re] de clausula: rebus sic stantibus: secundum ius cum naturale tum ciuile Cap. I, Marburgi 1750.
(x) cit. Diff. Cap. II.

(y) in L. 3 § 2 D. de bis quae pro non script. bab. et MODESTINVS in L. II D. de seruitut.

(z) in § 1.

(a) vid. § XXX sup.

20 CAP. III SISTIT ARGUMENTA, EX QVIBVS,

in paragrapho primo huius tractationis: vbi annotauit; receptionem iuris peregrini, ita factam, intelligi debere, vt, si sana ratio legis deficiat, lex ipsa obseruari non debeat. Ex quo porro deriuatum est; receptionem, generatim factam, non excludere facultatem, leges speciales, in hac regione iam applicatas, rationi non conformes, reiiciendi.

§ XL

Accedit odium Germanorum ob antiquissimis temporibus in liberos illegitimos. Hi enim non fuerunt, nec homines sunt capaces iuris succedendi in feudis (b). Ita, vt iure feudali Langobardico ne admittantur quidem legitimi (c). Imperatores, imo etiam Principes, liberos illegitimos, non aliter, ac homines proprios agnouerunt. Vocati sunt: *die königs, pfaffen, mönchskinder, königs leute, bastarde* cet. Erant fisco regio adscripti (d). Nec ad successionem maternam permulti Germanorum populi illos admiserunt (e). Leuis notae macula laborabant (f). Inde

(b) *Sächsisches landrecht L. I art. 37, 51, Schwäbisch landrecht cap. 337, 410, Viri Perillus et Magnifici I. G. ESTORIS bürgerliche rechtsgelahrbeit der Teutschben ausgefertiget a VITO Illustri I. A. HOFMANNO P. I § 87¹.*

(c) II F. 26.

(d) vid. CHRISTIAN. GOTTLÖB. HALTAWSII *glossarium medii aevi voc. königs kinder pag. 1114, REPERTORIUM iuris priuati part. I pag. 457 466, FR. ES. A PFEENDORF ob-*

seru. iur. vniu. LXXXVIII, Vol. I.

(e) *LANDRECT L. I art. 51, IOACHIM NEWDORE Diff. de successionibus ab intestato § 110, Marburgi 1622.*

(f) *Vir Perill. I. G. ESTOR in der bürgerlichen rechtsgelahrbeit der Teutschben th. I hauptß. CXVI p. 376 cet. NICOL. GRIMMEISEN de liberis, ob deficientem, in parentibus benedictionem sacerdotalem, non legitimis, Altd. 1731.*

Inde etiam ratio petenda, cur quidam vocem: *bastard*: derjuant a, *bōs art* (g). Quare iam, quaeſo! talibus liberis, ad contemtum damnatis, priuilegia, absque voluntate eius, qui potestate ea concedendi gaudet, indulgere deberemus?

§ XLI

Quin quod, secundum opiniones doctorum, stuprata eiusque liberi meliori adhuc conditione, concubinis Romanis liberisque naturalibus, gaudere debeant.

Stupratorem viciatam dotare aut ducere teneri, iam iam iure diuino fundatum esse putant (h). Iure canonico repetitum (i), et moribus hodiernis ut plurimum ita confirmatum est (k). Casu nunc existente, vbi stupratam masculus in matrimonium non duxit, sed illam dotauit, iam sine liberis legitimis decedens: femina delinquens do-

(g) REPERTORIUM iuris priuati, sub voce *bastard*, § 2.
Apud Gallos *bastardi lupis comparabantur eo*, quod nunquam patres suos videant. E. G. STRUVII *Iurisprud. Her. Part. III p. 518*, *Zenae 1745, 4, quanquam apud eos vox, bastard, etiam latius pateat: ita, ut nunc notandum, nunc adulterinum filium, nunc incesto concubitus genitum significet. vid. le nouveau dictionnaire François et Latin par l'Abbé D'ANET, 1683, 4 mai. pag. 114. Interdum *bastardi ipsi se* *ita* *apellarunt. Sic filius naturalis Renati d'Alençon nominatus est CHARLES BASTARD D'A**

LENÇON. LOHMEIER. Genealog. Tab. 73 ibidem: PETRVS BASTARD D'ALENÇON. BASTARD DE BOVRBON. Tab. 43 pag. 80. Dicuntur alias: *fils de Bas*. CAR. DV FRESNE gloss. voc. *Bastard* Tom. I. Idem refert Guillelmum Anglicum Regem ita scripsisse: Ego WILLELMVS cognomento BASTARDVS:

(h) vid. Exod. XX, 16, 17, Deut. XXII, 29.

(i) C. I. X. de adulterio.

(k) S. STRYK in *vñ mod. D. L. XLVIII T. V* § 20, 10. SAMVEL FRID. BOEHMER in Element. iur. crimin. sect. II cap. XXVI § 287 et 290.

tēm lucratur et insuper succedit cū spuriō suo in sextā tem paternae hereditatis. Quis dicere conatur, concubinatum, licita iure Romano societas, tam priuilegiatum fuisse, ac hodie atrox delictum, stuprum nempe, per dispositiones Doctorum euadit? Considereret alius quidam, quo modo talem opinionem defendere possit! Ego sane ignoro medium. Iustum nominant, de quo ne minimum quidem in legibus reperiunt, imo quod penitus analogiae iuris aduersatur.

§ XLII

Quicunque aliter sentit, concedere debet; Doctorum, nouas condere leges, personas reddere priuilegiatas, officium esse. Ne quis tamen credat, ac si omnium Iureconsultorum assensu mea sententia destituta esset; prouocare ad Doctores celeberrimos conaturus sum.

HEINRICVS DE COCCIVI, liberis spuriis qualitatē naturalium attribui debere, negat: ex aduerso, liberos naturales cum spuriis hodie conuenire, affirmat. Quapropter successioni in sextantem nullum relinquit locum (l). Permulti alii eius confirmant sententiam (m). Alii negant spuriis ius succedendi, quanquam pater certus sit (n).

§ XLIII

(l) in Cons. XIII n. 17, 18, 19, 20, et ab eo citati auctores: ANDR. GAIL L. 2 obs. 88 n. 1 - 20.

(m) LÜDER MENKEN in Iure controu. Decad. V controu. X, l. B. DE WERNHER P. Iobseru. sel. CLXXXV n. 3 - 12, qui variis praeiudiciis opinionem confirmat, GOSWIN AB ESBACH de iure maiestatis circa leges, pos. I § 48, VAN LEVVEN in censura forensi L. 1 c. 3 n. 9 - 10, 10. VOET in

Comment. ad D. Lib. XXXVIII, tit. 17 § 8, et ab eo citatus GROENEWEGEN, IAC. FRID. MALER in primis lineis differentiarum iuris naturalis, ciuiliis et Marchici Baudensis circa successionem ab intestato § 18, Carlsr. 1757, GODFR. LVDOV. MENKEN in Dissertatione, de successione liberorum naturalium, babita Vitemb. 1725.

(n) LÜDER MENKEN in System. iur. ciu. L. 38 T. 17, § 8;

§ XLIII

Quaestio: vtrum concubina, exclusis liberis naturalibus, sextantem petere possit? eruenda adhuc superest. Haec autem denuo in duas alias abit: vtrum nempe concubina partem sextantis iure proprio an propter liberos naturales acceperit. FERD. CHRISTOPH. HARPRECHT refert (o) responsum facult. iurid. Tubing. vbi n. 104 vsque ad n. 116, rationibus non contempnendis, probatur, matrem iure, non proprio, sed ob liberos naturales petere posse partem sextantis. Mihi tamen perinde est an ius feminae proprium an ob liberos competens, olim fuerit. Haec enim omnia iura, damnato fundamento euanescunt. Eadem caussa determinauit ius succedendi in sextantem, liberis competens, quae legis, matri diuisionem sextantis indulgentis ratio fuit.

CAP. IIII

CONTINET OPINIONES ALIORVM,
QVAEQVE FORTE MONENDA SVNT
AD ILLAS REFVTANDAS.

§ XLIII Exponit, quomodo interdum procedatur in applicando iure Romano in Germania.

§ XLV I. Brunnemann,

§ XLVI S. Strykio respondetur.

§ XLVII, XLVIII et XLVIII alia remouentur dubia.

§ L Difcimen inter matrimonio-

nium ad L. Salicam contrarium et concubinatum,

§ LI inter natum ex sponsa et filium naturalem,

§ LII inter matrimonium putatum,

§ LIII praesamtum et concubinatum, explicatur.

§ LIII Conclusio sequitur.

E § XLIII

(o) Tom. II tract. academ. edit. Ulm. 1698 pag. 1238.

§ XLIIII

In superiore capite, sana principia, quae sanctiones Teutonicae, amplecti iubent, exponere, occupatus fui. Iam adhuc restat considerare, quid Doctores quidam et plurimi hac de materia sentiant? Saepe fit, summa imis, Teutonica Romanis misceri. Propter similitudinem alius quaestione mentionem faciam. Quaerunt et disputant; anne detur seruitus in Germania, quae in faciendo consisteret? Plurimi affirmando respondent, ad experientiam prouocant, illumque sana ratione priuatum esse, dicunt, qui aliter cogitat. Sed consideres rogo, quae POMPONIUS ait (p): *Seruitutum non ea natura est ut aliquid faciat quis sed ut aliquid patiatur aut non faciat.* Ah! clamant: Ah! En Pomponianum hominem! Quid ad Germaniam quae Romani de seruitibus constituerunt? Sane multa. Retineo definitionem, quod seruitus sit ius in re quo minus aliquid pati aut non facere teneatur. Et sic definitioni contradicerem, defendens, seruitutem in faciendo hodie consistere posse. Concedo, quod hodie aliquid detur, seruituti Romanae simile in faciendo consistens. Neganndo autem solemni modo protestor, si illud ens seruitutem nominare tibi placeat. Nam seruitutis ea natura est ut aliquid patiatur aut non fiat. Verborum significations arbitriae sunt. Tu ergo, si seruitutem definire mauis per obligationem, qua aliquid praestari debeat, laudabo omnes tuas conclusiones. Sic tamen nouum potius vocabulum inuenis quam vetus retines.

§ XLV

Iam denuo ad thema meum regressurus sum. Quid? Anne existunt liberi naturales in Germania? Neutquam! cl-

(p) in L. 15 § 1 D. de seruitut.

clamant: proprio in sensu nunquam. Ideo tamen effectus cessare non debent. Adeo I. BRVNNE MANNVM, qui, cum paulo antea de liberis naturalibus in sensu iuris Romani, de eorum requisitis et iuribus, adeoque etiam de successione in sextantem locutus erat, iam ita pergit (q). Sed quia iura canonica et nostri mores ac consistoria magis abhorrent concubinatum - - quam simplicem fornicationem: - - ideo de talibus liberis extra matrimonium, ex coitu non damnato natis generaliter haec intelligimus. Sententia huius Iureconsulti celeberrimi, me interprete, forsan haec erit. Cum Romani liberis naturalibus varia priuilegia concesserint: ius canonicum autem, mores legesque Germanorum talium liberorum existentiam impossibilem reddant, nos Germani tamen aegre titulos, in Iure Romano existentes, absque applicatione ad nostrum statum relinquamus: ideo inuenimus aliud ens, loco liberorum naturalium, et huic omnia priuilegia, natis istis, iure Romano attributa, adscribimus. Addit enim statim: *Et sane si ex subtilitate iuris ciuilis vellemus tantum vocare filios naturales, qui ex concubinatu, prout ille iure ciuili describitur, nati sunt, parum vel nihil utilis esset totus hic titulus.* Dolendum certo esset, si tituli huius vnu carere deberemus! Ego quidem similitudinis caussa ita ratiocinor. Si seruos secundum ius ciuile consideramus, nulli hodie existunt. At quia tota doctrina de seruis in iure Romano tam late exposita, inutilis esset; homines proprios ideo nominamus seruos, et horum iura statumque ad illos applicamus. Optime! belle! Quis non vider, quam absurdia sit talis conclusio? Dispositiones Romanorum hac in caussa erant priuilegia, liberis ex concubinatu, ob singulares caussas tolerato, natis, concessa. Spurii, praeter quos hodie nullos illegitimos, me-

E 2

liori

(q) In Comment. ad L. 11 C. de nat. liber.

36 CAP. IIII CONTINET OPINIONES ALIORVM,

liori conditione gaudentes, habemus, nullis priuilegijs vti poterant. Quapropter, applicatur ius Romanum ad nostram Patriam, nulli alii liberi cum hodiernis spuriis, quos vulgo, aſt barbare ac inconcinne, naturales vocant, conueniunt, ac spurii iſti, qui pariter ex coitu illico erant prognati.

§ XLVI

BRVNNEMANNI gener, SAMVEL STRYK magis conuincentes profert rationes (r). Concedit concubinatum hodie esse illicitum, adeoque non dari liberos naturales, proprio sensu ita dictos: fed inquirendum esse, quam ex cauſa Romani spuriis nullum concederint ius succedendi: hanc autem fuisse, quod pater incertus esſet. Nunc ita pergit: Si tamen de patre certo conſtarē posſit, spurio idem ius quod naturali, bodie concedendum videtur. Quod, quamvis eapropter dubium videatur, cum naturales spuriis bodie aequiparentur, et ſic vti spurii olim, ita et bodie naturales a ſucceſſione repellendi videantur. Attamen quia ſucceſſionis communodium, quatenus hoc legibus indulatum, per Imperii Receptus non ſublatum, et spurii ea propter tantum excludebantur olim, quod de eorum patre non conſtarēt, aequius eſt in caſu, vbi de patre conſtat, hoc quoque ad ſucceſſionem admittere. Talia argumenta certo solidiora nomino, quam illa antea adducta. Ut ideo, quum dubia aegre relinquam, ſententiam huius Iure Consulti solidissimi refutare poſſim, dicta eius ad ſequentes reducam propoſitiones. (α) Liberi ex concubina procreati, ſub conditionibus ſupra allatis, patri in ſextantem ſuccedebant; (β) spurii nunquam quia eorum pater incertus eſt. (γ) Cum ergo naturales spuriis hodie aequiparentur nulla datur ſucceſſio in ſextantem: (δ) niſi pater certus eſt, in quo

(r) in traſl. de ſucceſſione ab intellato Diff. I cap. II § 53.

quo casu ratio legis deficit, et quia (9) leges imperii successionem expresse non admunt, sed tantum concubinatum interdicunt.

Tres priores propositiones dictis meis penitus fere respondent. Quoad limitationem sequens confutatio haud iniucunda erit. Si ratio, cur spurii a hereditate paterna remoti sunt, vnika tantum fuit, nempe quod eorum pater incertus esset, sequitur: quod patri certo aequali, cum liberis legitimis, iure succedere debeant. Nam semel verum, et nemo contradicit, spurios a successione paterna fuisse in totum exclusos. Rationem ergo indicantes, quia eorum pater incertus esset, statuere debent, patri certo illos ut legitimos succedere debere. Non credo STRYKIVM ipsum ita voluisse ratiocinari. Cur quaeso! priuilegio nostro non gaudebant liberi, et concubinatu procreati, in quo non omnia praecise requisita aderant secundum leges concubinatum solummodo constituentia? e. c. si liberi in domo mariti non educati erant cet. Pater omnino his in casibus etiam certus esse poterat. Cur, inquam, nulla successio hic locum habebat? Annon vti hodie ita etiam apud Romanos pater interdum certus esse poterat, quamquam concubentes in concubinatu haud viuerent? et nihilominus alios liberos illegitimos priuilegium de succedendo in sextantem habuisse, ac illi qui concubinatum, iuste definitum, caussam procreationis indicare poterant, nunquam legimus. Et iam inquiram: vtrum ratio, cur spurii a hereditate paterna fuerunt exclusi, incertitudo patris fuerit? IMPERATOR probe distinguit inter eos liberos, qui spurii, seu vulgo quaesiti, nominantur, et eos, qui nec ex iusto matrimonio, nec ex concubinatu sunt progeniti (s). Nihilominus tamen spurios, quorum parens est

E 3

incer-

(s) in § 12 Inst. de nuptiis,

38 CAP. IIII CONTINET OPINIONES ALIORVM,

incertus, aequo ac illos, qui nec ex matrimonio nec ex concubinatu procreati, quorum pater tamen est certus, vti ipse dicit, ab omnibus priuilegiis prorsus excludit. Corruit igitur quarta propositio. Quinta iam nullius erit momenti. Qualis enim conclusio haec est? *leges imperii spuriis commodum successionis non admunt, ergo admitti debent.* STRYKIVM supponere oportet, spuriorum successionem vnquam extitisse. Ast vbi? In legibus Romanis? Nunquam. In legibus Germanorum? Hem! quali odio Germanis tales fuerunt nati! Concedo itaque; leges Imperii spuriis ius succedendi non ademisse. Adimas autem, quae-
so! vbi nihil dispositum est!

§ XLVII

Ius canonicum multis in casibus rigorem iuris ciuilis restringit. Placuit inde omne, quod aequum est, etiam cerebrinam aequitatem, canonicam aequitatem appellare. Sic enim intelligo STEPHANVM GRATIANVM, dicen-tem (t): Coitum soluti cum soluta, secundum aequitatem canonicam, pro concubinatu haberi. Nescio fane, quomo-
do hic aequitas canonica intelligi debeat. Ipse GRATIA-
NVS fatetur concubinatum iure canonico esse prohibitum,
non solum nouiori sed etiam veteri (u). Si quis autem
fatetur iure canonico concubinatum damnatum esse, non
video quibus ex rationibus, per eiusdem iuris canonici ae-
quitatem, priuilegia, concubinatui tributa, ad genus deli-
ctorum quoddam extendere possit. Idem ius canonicum
aliis occasionem praebuit iura concubinariorum ad spurious
extendendi. Ita enim I. H. BOEHMER (v): *Sed postquam
ius*

(t) *in disceptationibus forensi-
bus Tom. I c. 31, n. 6, Tom.
III c. 562 n. 65, Tom. V c. 958
n. 3.*

(u) *vid. Tom. V c. 863 n. 11
vbi provocat, ad c. 32 q. 4 c. 1.
(v) *in Tract. de actionibus
fel. II c. 1 § 29 not. e.**

ius canonicum liberos concubinarios et spurios aequiparauit, inde tandem iura liberorum naturalium in praxi spuriis applicata sunt. Nunquam negabo spuriis et concubinariis, secundum ius canonicum, imo secundum recessus Imperii Germanici, eadem iura esse tribuenda. At concubinarii spuriis, non hi illis aequiparati sunt. Concubitus, ex quo utriusque liberi oriuntur, aequali iure damnati sunt. Quid igitur iustum erit circa spurios ex coitu illicito oriundos? Anne id, quod olim indultum erat liberis ex coitu lictio procreatis? Neutiquam; si analogiae iuris aduersa tueri nolumus: sed id, quod pariter circa liberos ex concubitu illicito statutum erat. Nec ea stringunt, quae HVLDERICVS SIGISMUNDVS ROTHMAHLER profert (w): Hic contendit, ius Romanum liberis, ex femina honesta extra matrimonium prognatis, eadem iure ac concubinariis tribuisse. Vbinam autem talis lex exstat? Nullibi. Inspicias rogo, quae IVSTINIANVS (x) statuit et in multis aliis legibus cautum est.

§ XLVIII

Vt aliis obiectionibus adhuc respondere possim, pauca adducere mihi licebit. Liberis procerum imperii illegitimis, vti priuatorum, secundum regulam nullum attribuitur ius succedendi. Attamen illius participes fiunt aliis forte accendentibus circumstantiis. Praeter exempla, in capite secundo indicata occurrit aliud in filia naturali Crafft Adolph. Ottonis, Comitis de Cronberg, qui anno 1686, absque prole legitima, decepsit (y). Nata illa post obitum patris

(w) in Diff. despurio: von baſtard oder unzüchtigen kindē § XXV, Erfordiae 1696 habita.

(x) in Nou. 89 c. 12.

(y) Hartmann de Cronberg (des kronen stammes) mortuus erat 1591 relictis duobus filiis Io. Schweigharto et Io. Georgio de

40 CAP. III CONTINET OPINIONES ALIORVM,

patris obtinuit conclusum senatus Imperii Aulici (z). AVGVSTVS III Rex Polon. Elector Saxon. anno 1747 iussit, fratres suos naturales post liberos legitimos; seu, vt Iustiniianus loquitur, nobilissimos, id est, qui sunt de Regis familia, ire ac sedere (a). Ratione Illustrium generatim variis notatu digni occurunt casus. Sic Laurentio de Medicis concubina peperit Iulium, filium naturale. Hunc Pontifex Leo X, alias Ioannes de Medices, creauit Cardinalem anno 1513. Idem Iulius deinde Pontifex creatus est Romanus anno 1523 (b). Plures adhuc ad dignitatem Episcopi et Archiepiscopi sunt euecti (c). Interdum libe-

ris

de Cronberg. Ille electus est episcopus Heribopolitanus et Archiepiscopus Moguntiacus; diem obiit supremum 1626. Hic, videlicet Io. Georgius, quem dixi, procreauit filium legitimum Adamum Philippum de Cronberg et cuius filius fuit dictus Comes Crafft Adolphus Otto.

(z) *Sequentis tenoris:*

Lunae 3 sept. 1708.

Cronbergische verlassenschaft in specie der natürlichen kinder alimentation betr. Sieue G. (qui filiam naturalem duxerat) anwald Iohann Georg Mezburg sub praef. 10 dec. an. praet. exhibet allerunterbänigste remonstrationem iuris iuncta humillima petitione pro clementissima adjudicatione sextantis honorum.

Cum inclusione exhibitorum rescribatur dominis commissariis ad immittendum dabin zu seben, da-

mit denen supplicanten in ibrem an sich nicht umbiligen anſüchzen aus der gesammten erbjchaft ein ergiebiges aus geworfen und wie es gescheben sub termino 2 mensum zum Reichsboſrath berichtet werde.

(a) *Perill. FRID. CAR. DE MOSER T. II des deutschen Hofrechtes p. 248, 1761, 4.*

(b) *LOHMEIER Tab. 102 edit. 1695 fol.*

(c) *Sic Ludouicus XII, Galliae Rex, generauit Michael de Boucy Archiepiscopum Bisburensem. LOHMEIER Tab. 75. Imperatoris Ottonis I filius naturalis, Guilielmus, Episcopus fuit Moguntiacus. LOHMEIER Tab. 7 p. 12. Arnulphus Episcopus Rhemensis Lotharii II fuit filius naturalis: id. Tab. 6. Henrici II Angliae Regis filii naturales,*

ris nobilium naturalibus arma, insignia, iura et priuilegia conceduntur. Quae permisso fieri potest per dispositionem, aut statutorum aut Imperantis et patris (d). Ratione clericorum varia proferri possunt. Ne tamen alienis me immisceam, tantum annotabo; quod, Capitularem Aug. Conf. liberos, ex femina extra matrimonium procreatos, ab ipso tamen agnitos, heredes instituere posse, in Iudicio Imperii supremo, quod Wetzlariae est, iudicatum sit (e). Ratione clericorum Romano Catholicorum notandum; eum, qui est minoris ordinis, liberos illegitimos per matrimonium ex post initum legitimare posse (f).

§ XLIX

Successio tamen talium liberorum nihilominus irregulare manet, ac exceptionem tantum a regula constituit (g). Nam eiusmodi liberi talem patrem non habent, quem secundum leges habere licet (h). Ideo de patris dignitate et conditione non participant, nec in eius bona succedunt (i). Statuta singulare, certae dispositiones, sententiae meae non aduersantur, aut saltem ius tantum particulare ac priuilegia constituunt. Ideo aliae regulae non videntur assumentae. Ego quidem ago tantum de certis dispositionibus

Roma-

rales, Gottfridus Episcop. York. et Margan. Episc. Durbam: buc referri possunt. Circa Regum Galiae filios naturales temporibus recentioribus obtinuit, illos baberi pro legitimis, licet dignitate inferiores in regno non succederent.

BVRCH. GOTTA. STRVVE Iu-
risprudentia Heroica Cap. VI sect.
I § XIII lenae 1745, 4.

(d) Sic in statuto Ducatus Sa-
baudiae cautum quod liberi natu-
rales nobilium nobilitatis decore

fulgeant. STRVVE l. c. § 33, 35.
(e) Perill. L. B. DE CRAMER
in der Wetzlarischen nebenstun-
den aten theil C. VI § 11.

(f) id. ib. § 8.

(g) STRVVE l. c. § 40 cet.

(h) STRVVE l. c. § 13.

(i) Institutiones iuris Princi-
pum priuati L. I, Tit. VII § 90
lit. 1, 1747, 4, 10. FR. WILH.
DE NEVMANN de patria pote-
state et tutela principum § 160,
1751, 4.

F

42 CAP. IIII CONTINET OPINIONES ALIORVM,

Romanorum applicandis in Germania, secundum rationem legis et sanctiones nouissimas Germaniae. Quod attinet conclusum Senatus Imperii Aulici antea (k) adductum, ea tantum anno, quae Perill. FR. CAR. DE MOSER ratione talium Conclusorum affirmat (l).

§ L

Paucis iam adhuc affinia matrimonii et concubinatus, neutrum tamen horum constituentia, perlustratus sum. Matrimonium ad L. Salicam contraactum forsan praeципuum metretur locum, cum non defint Iureconsulti, qui illud simile concubinatui esse, credunt (m). Quem in modum autem istae duae coniunctiones a se inuicem discrepent, facile quisque exploratum habebit. Matrimonium ad Morganaticam est matrimonium legitimum, in quo nec vxor nec liberi in familia patris vel mariti sunt (n). Est igitur coniunctio legitima: concubinatus illegitima: ex illo procreantur liberi legimi: ex hoc illegitimi (o). Illud est verum matrimonium, benedictione sacerdotali initum: hic vtroque destituitur attributo cet.

§ LI

Liberi naturales nec confundi possunt cum nato ex sponsa. Proposito meo quidem non conuenit, inquirere funda-
mentum

(k) § antec.

(l) in dem vorbericht zu der Sammlung von Reichs-Hofraths gutachten ersten theil edit. 1752, 8, vbi „der hochberühmte Kaiserliche Reichs-Hofrath, Freiherr von Senckenberg, beschwert sich, und nicht obneggrund, in dem Schreiben an den herrn von Olen-schläger, daß aus Reichs-Hof-Raths Conclusis ostermahlen unrichtige folgerungen bergeleitet

würden, weilen die wahren Ursachen, warum man in einer Sacbe so und nicht anders gesprochen, unbekannt wären.“

(m) I. G. HEINECCIVS in elem. I. C. secund. Ord. D. L. XXV T. VII § 286.

(n) Vir Ill. IOH. HENR. WOLFART tract. de matrimonio ad Morganaticam 1736, 4, § 6.

(o) cit. tract. § 7.

mentum dissensuum inter Iureconsultos, contemplatione natu-
ti ex sponsa ortorum. Pauca tamen annotare necesse erit.
Coniunctio viri et mulieris, in republica viuentium, tamdiu
illicita et illegitima est, quamdiu solemnitates praescriptae
non obseruatae sunt. Ideo ubi consensus matrimonialis ad nu-
ptias contrahendas sufficit, natus ex sponsa ideo legitimus est,
quia consensus sponsalitus in matrimoniale mutatus censem-
tur. Vbicunque vero alia solemnia, vti apud nos, benedictio
sacerdotalis, necessario requiruntur: non video, quomodo
natus ex sponsa pro partu legitimo haberri possit. Quanam ra-
tione aliquid, cum legibus conueniens, oriri potest ex eo,
quod contra leges factum? Quis negare potest, concuben-
tes ante benedictionem sacerdotalem delinquare? Haud qui-
dem ignoro, aliter vulgo iudicari. CHRISTOPHORVS PHILIP-
PVS RICHTER contrariam sententiam variis firmare argumen-
tis, sollicitus est (p), putans: si de essentialibus matrimonii,
in primis de affectione maritali constaret, causam nullam ad-
esse, quare liberos, ex coniugio minus solemnii, fauore in su-
per partus accedente, illegitimos nominare debeamus; quae
sententia etiam approbata sit in Saxonia (q). Quisnam autem
affirmabit filium talem e coniugio legitimo esse natum? Qua-
re iuribus non fruitur quae leges solummodo liberis legitimis
concedunt. Placuit inde aliis sententiam Richteri reicere (r).
Tu autem, siue dicas; liberi, ex sponsa nati, sunt legitimis:
siue illos nomines illegitimos: vtroque casu discrimin ratione
concubinatus inuenies. Si illos pro legitimis habes: quod
concubinatus sit coniunctio illegitima, statim in mentem tibi

F 2

veniet.

(p) in Decis. 133 n. 1 cet. Vid.
in super AVG. A LEYSER in Medit.
ad Pand. sp. XV m. 6 sp. 298 m.
4, dissertationem sub praefidio 1.
F. EISENHART a 1. F. NEWMANN
Helmstadii 1750 habitam de nato

ex sponsa. IO. NICOL. HERT com-
ment. de matrimonio putatio,
§ 4, Gieff. 1727.

(q) per dec. nou. Elect. 49.

(r) I. H. BOEHMER I. E. P.
l. c. § 50.

44 CAP. III CONTINET OPINIONES ALIORVM, CET.

veniet. Si meam defendere sententiam tibi placet: affirmare tenetis, liberos tales natos esse ex coniunctione, non solum illegitima verum etiam illicita; adeoque omnes plane effectus deficere debere. Nullum inde oritur ius succedendi. Differentia tales coniunctiones ratione modi, quo ineuntur. In illa coniunctione, ex qua oritur natus, ita dictus, ex sponsa, interuenient consensus sponsalitius: in concubinatu deficit cert.

§ LII

Nec minus toto coelo concubinatus differt a matrimonio putatio (der scheinehe.) Hoc enim est matrimonium inter personas, quae coniungi non deberent, bona fide et secundum leges initum. Recte ideo nominatur matrimonium legitimum, manetque rale usque dum illud ineuntes experiantur, se coniungi non potuisse. Nascentur igitur ex hac coniunctione liberi legitimi (s).

§ LIII

Inter matrimonium praesumtum et concubinatum differentia paulo altius petenda erit. Illud enim nullae solemnitates legitimae praecedunt: hunc pariter nullae, quae vocari possent nuptiales. Sed in destinatione sola secundum ius civile differentia conficitur. Si quis cum ingenua concubabit, praesumitur matrimonium iniisse (t). Si vero in concubinatu viuere cupit, solemnis testatio antecedere debet. Ex illo nascentur legitimi; ex hoc illegitimi. Quilibet autem exploratum habebit, nullum hodie dari matrimonium praesumtum, nullosque liberos legitimos ex illo procreari posse: cum nulla coniunctio legitima sit, nisi quae benedictione sacerdotali inita est.

§ LIV

Effectus igitur concubinatui in legibus Romanis tributos, nulli coniunctioni, extra matrimonium legitimum applicari posse, satis probatum esse credo. Paucas forsitan propositiones protuli, quae nondum defensae sunt. Reuoco autem in memoriam quae apud Ouidium (u) legi:

Vela damus, quamvis remige puppis eat.

(s) HER T cit. tract. § 6, 23.
Nuptiis, HER T l. c. § 3, pag. 7.

(t) L. 24 D. de R. N. L. 22 C. de
(u) Trift, L. V. Eleg. XIV w. 43.

T A N T V M .

ULB Halle
003 719 332

3



f

86.



Fri. 48. num. 1. 27.^a

DISSESSATIO IVRIDICA IN AVGVRALIS
DE
S V C C E S S I O N E
LIBERORVM NATVRALIVM
IN SEXTANTEM PATERNAE
HEREDITATIS EXSVLE IN GERMANIA

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPЕ
AC DOMINO

DOMINO FRIDERICO II
HASSIAE LANDGRAVIO REGNANTE RELIQA

EX INDVLTV
ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS
PRO LICENTIA

SVM MOS IN VTRQVE IVRE HONORES
AC PRIVILEGIA DOCTORIS RITE CONSEQUENDI
PVBLICO PROCERVVM ACADEMIAE EXAMINI

SUBMITIT
IOANNES HENRICVS EBERHARD
HANOVENSIS.

AD D. **XX** SEPTEMBRIS **CLCCLXIII.**

M A R B V R G I
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA VNIVERS. ACAD. MÜLLERIANA.

